

05

A

2507





Casum Practicum
De
**ASTHMA TE
CONVULSIVO,**

Gratiosissimæ Fac. Med. Indultu,
Sub Præsidio

V I R I

Nobilissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi

DN. JEREMIÆ LOSSII,

Phil. & Medic. Doct. & P. P. Extraord.

**Dn. Præceptoris, Patroni, ac Hospi-
tis sui ætatem devenerandi,**

Ad D. 12. Julii M. DC. LXXVI.

*Publico Eruditorum Examine ex-
ponit*

**GEORGIUS CHRISTIANUS Pfeifer/
Dresd.**

VVITTEBERGÆ,

Typis **CHRISTIANI SCHRÖDTERI.**

*J. R. ...
H. ...*



54



05 A 2507

Handwritten signatures and notes in cursive script.

a
r
q
f
M
p
e
n
c
e
n
f
a
h
x
a
f
c
n
r
v
f





Currunt in utroq; sexu præfocationes atrocissimæ, quæ, aliis quam plurimis, iisq; immanissimis Symptomatibus stipatæ, se manifestant. Communiter in sequiori sexu culpa in uterum rejicitur, dū ad præcordia, ipsamq; gulam adscendere putatur. In Viris cum eadē sese manifestent haud rarò symptomata, quæ uteri adscensum simulant, hæsitatum fuit, quò affectus sit referendus. Dum enim uterum non habent Masculi, nescio quem scorbutum, vel quòd malum hypochondriacum finxerunt. Sed, quemadmodum in ejusmodi præfocationibus uterus ferè semper immunis est; siquidem in Virginibus & Viduis adeò exigua constat mole, & partibus circumquaq; vicinis ita strictim alligatur, ut nec ipse loco moveri, & adscendere, nec motus ejus, si quis fuerit, per sentiri poterit: Sic etiã fingitur sæpè obscurus in viris affectus, cum tamē, si rectè attendatur, & in mulierculis & viris istæ suffocatiões nihil aliud sint, quàm convulsiones l. diaphragmatis, l. plexus nervosi in mesenterio, l. pulmonum l. ventriculi, l. alteriq; membri. Nam si rectè considerentur isti affectus, formale equidem in respirationis vitio consistit; sed causa in partis cujusdã p. n. commotione l. constrictione. Unde semper motus convulsivi concomitantur. Manifestum hoc erit ex sequenti casu, quem proponere volumus. Tu Deus Alme, inceptis largire manum, finemq; corona!

HISTO-

HISTORIA.

Juvenis viginti duos circiter annorum, natus in locis maritimis, & ubi scorbutus frequenter incolas invadit, plethoricus, & propter vitam sedentariam ad malum hypochondriacum proclivis, cum nuper præter solitum paulò largiùs vino indulgeret, & vehementer à commilitone ad iram commoveretur, incidit altero die in affectum, quo ante biennium & quadriennium quoq; laboraverat. Nempe supprimitur primò alvus, & mox oritur difficilis & anhelosa respiratio, quæ per paroxysmos ita intenditur, ut suffocationem metuat. Unde vix obdormiens, quasi terrore concussus, evigilat, dum videtur sibi aliquid incumbere, quod suffocationem minitetur. Sentit in medio ventre constrictionem hypochondriorum, ac si cingulo coarctata tenerentur. Atq; ubi vehementior sit constriction, & respiratio est anhelosa, diaphragma fortiter commoveretur, & artus simul concutiuntur. Et hæc commotio à levi quoque vellicatione hypochondriorum, sive digito, sive lecto incumbente contingat, sive aliquid frigidi deglutiat, cum adstantium admiratione excitatur. Primis diebus sensus interni sunt salvi, & memor est omnium, quæ secum in paroxysmo peraguntur. Sed quando affectus & paroxysmi intenduntur interdum quoq; oculorum commotiones, & sensuum internorum cessatio observatur cum totius corporis concussionem. Quæ concussionem etiam extra paroxysmum, dum vigilat, & loquitur cum aliis, percipiuntur, ac si terrore subito corripere. Desinit paroxysmus, rursus & profunda expiratione, sed citra

tra rejectionem pituitosæ materiæ. Adest summa vi-
rium dejectio, ut ambulare nequeat. Appetitus est
prostratus, urget sitis, & propensio ad vomitum & so-
mnium concomitatur. Metuens majora mala petit
consilium.

ANALYSIS.

§. I. Multa in Casu proposito occurrunt Sympto-
mata, quæ suspensum in judicando tenent animum.
Adest enim Asthma, adsunt Convulsiones, ipsa Epilep-
sia, tussis, & alvi adstrictio, ut parùm absit, quin pro
Scorbuto, vel Epilepsia, vel malo hypochondriaco ab
aliis habeatur. Sed quoniam potiora symptomata
sunt Asthma, & convulsio diaphragmatis, existimamus
hunc affectum, de quo conqueritur juvenis, esse *Asthma
convulsivum*, prout adpellatur à *Willisio l. de morb. convulsif.
c. 12.* Dicitur autem *asthma* ratione formalitatis, quo-
niam difficilis adest respiratio, ab *ἀσπν* spiro, quod diffi-
culter spirat, & quasi anhelat. Et *convulsivum* a con-
vello, græcè *κωλύω*, contraho, quia fibræ diaphragma-
tis contrahuntur, constringuntur, commoventur.

§. II. Per convulsionem vulgò intelligitur con-
stans contractio, quæ membrum rigidum, & inflexile
evadit. Et sic distinguitur a moribus convulsivis, ubi
variis concussionibus, & celeriter membrum commo-
vetur. Sed nos quælibet *πᾶσι κωλύωδῆς* hoc nomi-
ne designamus. Et hic quidem propterea, quoniam
& spasmus, & motus convulsivi, & ipsa epilepsia con-
currunt.

§. III. Adesse Asthma, signa pathognomonica,
ab essentialiter inhaerentibus desumpta, manifestant,
nempe

nempe difficilis, & anhelosa respiratio cum metu suffocationis, quod Symptoma in hoc casu maximè urget. Non est dyspnœa, neq; orthopnœa, neq; catarrhus suffocativus. In dyspnœa est exiguè densa ac frequens respiratio citra sonum ac anhelitum. In orthopnœa verò coactio spirandi cum erectâ cervicè. Majorem convenientiam cum catharro suffocativo, germanicè *der Steckflus*, affectus hic habet. Convenit enim quoad difficilem respirationem, quæ in utroque est, cum metu suffocationis. Sed, quoniam catarrhis obnoxius non est, nec lymphæ excernitur, pro catarrho suffocativo affectus hic habendus non est, sed pro Asthmate potius.

§. IV. Ast tale Asthma, prout communiter appellatur, quatenus ex infarctu pulmonum a pituitâ crassâ oritur, non est, quoniam nulla materia pituitosa excernitur, sed levis tussis cessante paroxysmo subsequitur. Sed est Asthma convulsivum, quoniam difficilis respiratio oritur a convulsione diaphragmatis. Adfunt enim signa pathognomonica convulsions, nimir. constrictio thoracis, de qua conqueritur agrotus, ac si cingulo constricta sint hypochondria. Adfunt motus convulsivi diaphragmatis, totius corporis, & tandem quoque ipsa Epilepsia subsequitur, ubi nimirum intenditur paroxysmus. Quæ omnia declarant esse hunc affectum ad affectus convulsivos referendum, quoniam omnes species hic concurrunt. Non diffiteor, quod sæpè convulsiones quoque Asthma vulgare, & catarrhū suffocativū, quando paroxysmus intenditur, subsequantur, sed semper succedit ejectio pituitosæ materiæ, quæ hic non est. Præterea in Asthmate

mate vulgari convulsivi affectus subsequuntur, qui in nostro aegrotò partim antecedunt, partim subsequuntur, partim etiam peracto paroxysmo asthmatico adhuc permanent, siquidem concussiones artuum etiam extra paroxysmum, & dum cum aliis loquitur, insulant.

§. V. Similem casum nuper, me præsente, observavit Nobilissimus Dn. Præses in puellulâ unius anni, quæ subito corripiebatur difficili respiratione, quam excipiebant motus convulsivi, & tandè Epilepsia. Manifestò conspiciebatur in tenerrimo corpore diaphragmatis, & thoracis motus convulsivus vehementissimus, quo cessante, omnia quoque symptomata cessabant. Aliquoties eundem affectum in virginibus & mulieribus notavit Experientissimus Dn. Præses, in quibus omnibus hæc signa pathognomonica conspicua fuerunt.

§. VI. Et ne quis putet, nos Asthma convulsivum nominare, quod reverà Epilepsia sit, sciendum est, quod Epilepsia non adfit semper, sed quando intenditur paroxysmus. Nam ab initio affectus sensus interni sunt salvi, & aegrotus memor est omnium, quæ secum in paroxysmo peraguntur. Placuit insuper notabilem illam observationem adponere mulieris cujusdam, quæ, quoties mariti sui Epileptici insultus conspiciebat, toties in Asthma convulsivum incidebat, sed sine Epilepsia vera. Primùm aderat cōstrictio thoracis, & tam difficilis respiratio, ut metueret suffocationem, quam clamore vehementissimo elidere connitebatur. Motus convulsivi non solùm thoracis, sed totius corporis vehementissimi subsequiebantur, sed sine abolitione:

litione sensuum: siquidem memor erat omnium,
quæ secum acta fuerant,

§. VII. Variat in variis hic affectus, & propter
eà varia signa habet *συνεδεσσοῦντα* & *ἐπιγεγόμενα*. In nostro
agrote adest constrictio alvi, in aliis alvi fluxus, pro-
ut observavit *Willisus c. 1.* In aliis Epilepsia vera sub-
oritur, in aliis non, prout jam declaravimus. In
nostro agrote de clamore nulla fit mentio, quem ta-
men stentorem in muliere jam allegata, & puellula
percepimus. Non possumus hic silentio præterire,
quòd in Virgine quadam delirium fuerit subsequu-
tum. Quoties enim in Asthma hoc incidit convulsi-
vum, unicè de difficili respiratione, & constrictione
hypochondriorum conqueritur. Accedunt semper
motus convulsivi, & Epilepsia. Et ubi priora cessave-
runt symptomata, delirat, loquitur de Angelis, cantat &
orat, immemor tamen omnium, ubi ad se redit.

§. VIII. Symptomatibus hunc affectum esse an-
numerandum, patet exinde, quoniam actiones læsæ
sunt, nim. respiratio, & motus. Et poterit pro diversa
consideratione modò ad Naturalem, modò ad Vitalem,
modò vel Animalem Facultatem referri. Dum n. ad
respirationem organa requiruntur diversa, & ferè omnes
Facultates concurrunt, qualibet hoc opo sibi vindica-
ret. Quod si tamè Symptoma à priori æstimandum sit,
potius ad Facultatem Naturalem motricem esset refe-
rendum, quæ principaliter afficitur, & alias Facultates
in consensum trahit. vid. §. 16.

§. IX. *Subiectum Asthmatis convulsivi in nostro*
agrote est *Diaphragma*. Septum *μεταξὺ τῶν ἡσυχῆς καὶ τῆς
τῆς ἡσυχῆς*, ut loquitur *Philosophus* in *Hist. anim. c. 17.*
fitum.

situ m. Quemadmodum hoc diaphragma præcipuum est respirationis organo, prout hoc declaravit *Ihruston* p. 37. de respirationis usu; sic, dū actio respirationis læsa est, non immeritò organon præcipuū hic affici judicamus.

§. X. Sunt equidem pulmones organa quoque respirationis, & propterea ab *Helmontio* pro subjecto Asthmatis convulsivi habentur, qui *caducum pulmonum* in Tract. asthm. & tuss. hunc affectum nominavit. Ipse *Willisius*, propter varias rationes adductus, p. 137. statuit, pulmones in Asthmate convulsivo primum esse subjectum, & videtur adserere, quòd diaphragma per consensum saltim compatiatur. Dum pulmones, inquit, in diastole continuà, aut parùm remissà, ita diutius detinentur, sæpè numero diaphragma, contra morem suum, in systolen violentam urgetur, atq; sursum contractum pulmones magis magisq; elevare, eorumq; subsidentie contrà niti solet; quò fit, ut respiratio adhuc difficilior, & plus laboriosa existat. Verùm in nostro ægrotò pulmones perse affici non existimamus, quoniam Asthmatici ob pulmonum caducum plerùmq; etiam extra paroxysmum difficili respiratione laborant, & aliquali tussi molestantur; de quo tamen ægrotus noster non conqueritur.

§. XI. Diaphragma hic laborare, præter adductam rationem, declarat *situs*, quoniam circum circa, ubi diaphragma annexum est, constrictio hypochondriorum percipitur. Urautem aliàs situs partem affectam manifestat, sic & hic possumus firmiter concludere. Et quidem, quòd illa constrictio extra paroxysmum asthmaticum perduret. Causa evidens idem confirmat; siquidem, pro lubitu paroxysmus excitari po-

ri potest, si vel comprimatur regio diaphragmatis, vel
salcim digito leviter vellicetur. Id quod in puellula
quoque cum admiratione adstantium aliquoties ob-
servavimus. *Agitatio & motus* p.n. thoracis atq; abdomi-
nis luculenter declarat fieri id ipsum à diaphragmate.
In puellula, cujus mentionem §. 5. fecimus, mo-
rum diaphragmatis adeò manifestè vidimus, ut ne du-
bitare amplius audeamus, quod diaphragma prima-
riò afficiatur.

§. XII. Non tamen penitus pulmones excludi-
mus, siquidem nulli dubitamus, quin nervi pnevmo-
nici, & fibræ pulmonum per consensum compatian-
tur. Dum enim paroxysmus profundâ expiratione
terminatur, concludimus, quòd pulmones expansi in
paroxysmo fuerint.

§. XIII. Nec excludimus musculos thoracis &
intercostales, & alias thoracis partes, siquidem con-
cussiones artuum, & thoracis agitatio de eorundem læ-
sione testantur.

§. XIV. Compatitur ventriculus in nostro ægro-
to, quoniam appetitus est prostratus, & propensio in
vomitum. Nec dubitamus circa officium sinistrum
ventriculi, quod cum diaphragmate cohæret, latitare
materiam vellicantem. Aliàs sæpè Asthma convulsivum
quoque a motu ventriculi convulsivo oritur,
prout observavit Nobiliss. Dn. D. Præses in Studioso
quodam, qui ab assumptâ Tinct. bezoard. D. Michael. in
hunc affectum & motus convulsivos totius corporis
inciderat: dum enim vomitu rejiciebat, quod in ven-
triculo erat, Symptomata cessabant omnia.

§. XV. Non patitur diaphragma, ut musculus
est,

est, quamvis non immeritò inter musculos referatur. Nam muscoli, ut muscoli, propriè non sunt subjectum convulsioni; siquidem & alia viscera, quæ musculosa non sunt, ut ventriculus, uterus, intestina, etiam convelluntur; sed patitur, ut fibris, & filamentis nervosis præditum est. Constat diaphragma plexu nervoso & fibris. Et plexus nervosus, & fibræ radicales propriè afficiuntur, quatenus in illis pugna fit spirituum cum acido lymphæ vel sanguinis ut constringantur & commoveantur.

§. XVI. *Causa immediata est Facultas Naturalis expultrix irritata*, quæ insurgit ad expellendum id, quod intra fibras molestum est. Est enim conservatrix sui corporis, unde etiam id, quod noxium invenit, propellere conatur, si vel leviter irritetur. Primò quidem contractione fibrarum hostem nititur expellere; sed quando vehementior vis accedit, insurgit quoque Anima majori virtute, & concutit membrum, ut id, quod inter fibras vellicat, excutiatur. Communiter F.A. pro causâ immediatâ habetur; sed quoniam in iis membris, ubi hæc F. A. motrix planè abolita est, ut paralyti affectis, spasmus & convulsiones excitantur, causa sane motuum convulsivorum esse non potest.

§. XVII. Veteres pro causâ proximâ habuerunt repletionem & exinanitionem. Sed ipsi inter se non conveniunt, qui fiat, quòd non potius paralytis a nervorum repletionem, quàm spasmus oriatur. Torquent se mirum in modum, ut Galeni auctoritatem salvent, hinc varias distinctiones & explicationes proponunt, quas vide apud Autores. Certum est, quod in phtisi

fit exinanitio, & in hyprope repletio, qui fit, quod in
hiscæ affectibus rarò convulsiones oriuntur?

§. XVIII. *Causa mediata* est omne id, quod Facultatem naturalem irritare potest, unde etiam levis vellicatio, & hypochondriorum contrectatio paroxysmum excitat.

§. XIX. *Succus alibilis*, qui intra fibras & poros partium hæret, & a spiritibus animalibus secernitur, hic præ aliis considerandus est. Non intelligimus succum nervorum, quem Angli alibilem vocant, & qui a multis pro ipsis spiritibus animalibus habetur. Sed illum succum, qui ex sanguine intra partes secernitur. Hic *succus alibilis peccat, quatenus acidus est, & acris*, & sic fibras diaphragmatis vellicat, ut se contrahant, hinc contractio & constrictio thoracis oritur. Huic succo sociant sese interdum particule nitrosæ, sulphuræ, vel, ut alii volunt, biliosæ, quæ cum spiritibus animalibus faciunt motum intra fibras vehementem, ut ita fibra partim a motu intrinseco concutiantur, partim & ipsæ se moveant fortiter ad expellendum id, quod molestum est, unde illi motus convulsi oriuntur.

§. XX. Idem judicandum de *sero vel lymphæ*, quæ cum succo alibili secernitur. Hæc si nimis *viscida* sit, ut non facile in vasa lymphatica ingredi queat, sed impacta in hæreat fibris, itemq; si *acida* sit, vellicat continuo fibras, & effervescentiam excitat.

§. XXI. Sed solus succus alibilis, vel sola lymphæ concussiones istas non faceret, nisi particule volatiles spirituum animalium in certâ proportionē concurrerent. Sic ☉ fulminans non fulminat, nisi cum

cum \ominus volatili paretur. Hinc merito Spiritus animales hic accusamus. Influxunt Spiritus animales non solum, ut motum & sensum partibus largiantur, sed etiam ut secernant instar alicujus liquoris precipitantis succum alibilem à sanguine, unde etiam laevis nervis cessat nutritio. Isti Spiritus animales multis particulis volatilibus salinis gaudent, quapropter etiam adeo mobiles sunt. Quando igitur \ominus volatile Spirituum animalium sociat se succo alibili acido, vel secernendo, vel jam secreto, intra diaphragmatis substantiam pugna oritur vehementissima, per quam partes concutiuntur. Quemadmodum istam pugnam videmus, quando \ominus CC. cum acido quodam liquore, vel Spiritus \odot cū Spiritu Vini commiscentur, vel si salia sicca & deliquata & acetosa concurrunt. Et si dubitaverit aliquis, an motus adeo fortis fieri queat, adeatis mulierculas, quae acidam cerevisiam cum alcalibus quibusdam commiscunt, & videbit tantum esse impetum \ominus ium, ut saepe dolia disrumpant.

§. XXII. Willisius istos impetus & concussiones vocat explosiones, & putat istos motus fieri a materia explosiva se sociante cum spiritibus animalibus: quemadmodum ejusmodi concussiones observamus a pulvere pyrio, vi explosiva praedito, & auro fulminante, aliisque rebus; sed an commode huc applicari queat, videant alii.

§. XXIII. Inter causas remotiores, & quidem *Res Naturales* primas tenet *Sanguis*, quatenus non solum abundat in corpore, & gravat membra, sed etiam quatenus acris est, acidus, & aliis qualitatibus peccat. Utrumque in aegrotis nostris suspicamus, quoniam

niam & sangvineus est, & hypochondriacus, qui acido gaudent sangvine. Plethora *κατὰ δύναμιν*, quam melius fortasse per sangvinis effervescentiã explicamus, hic in culpa videtur quidẽ esse, quoniã vino incaluit sangvis, & propter animi commotionẽ agitata fuit S.M. Sed si a sola sangvinis commotione facta fuisset, tam diu isti insulto nõ durarent, sed, cessante effervescentiã, cessarent. Hinc ad Cacochymiam potiũs respiciendum esse judicamus, eamq; acidam, quæ succum alibilem vitiatum reddidit, ut pugna fuerit intra fibras excitata.

§. XXIV. Inter res *Non naturales* vinũ, & ira hic accusatur, ambo n. multũ huic affectui tribuunt. Vinũ n. effervescentiã excitavit, & ira acedinẽ. Vita sedentaria multũ cõfert, quib9 diaphragma cõprimitur, & imbecillius redditur, ut ibidẽ magis cumuletur materia & exorbitet.

§. XXV. Inter *Res praternaturales* Malum hypochondriacum, & Scorbutus in nostro ægroto veniunt accusandi. Est enim hypochondriacum malum fons quasi & origo hujus affectus, quandoquidem in aciditate fermenti, & lymphæ ejus natura consistit. Scorbutus, qui in ægroto nostro radices egit, dum in maritimis locis natus, propter A rancidum fecit, ut pugna intra fibras vehementior fiat, si quidem in consuetũ aliã non est, ejusmodi motus convulsivos a scorbuto oriri insolitos & vix credibiles, prout tradidit *Trabitius* in *Tract. de Scorbuto*.

§. XXVI. Existis causis facillẽ potuit pronasci Asthma convulsivum, & reliqua symptomata. Et quidem *Asthma* propter læsum diaphragma. *Convulsio* a. a E. N. propter acedinem & effervescentiam, uti in §. 16. & 19. explicatum fuit, irritatã.

§. XXVII.

§. XXVII. *Epilepsia* subsequitur partim propter consensum Facultatum: nam dum F. N. irritatur in diaphragmate, per consensum postea in toto corpore F. N. quoque irritatur, ut ita F. A. abolita, vel cessante, *Epilepsia* fiat: partim etiam quod Spiritus animales in diaphragmate commoti, ☉ suo volatili effumescente in toto corpore hanc quoque commotionem excitaverunt, ad eundem ferè modum, quemadmodum videmus, quod particulae salinae volatiles efflorescentes, vel fermentantes in aliis rebus, etiam longè remotis, idem efficiant.

§. XXVIII. Desinit paroxysmus *Tussi & profundà respiratione*. Nam illud, quod spirandi organum molestum fuit, per illam excutitur, & dum opus erat aëre, avidius natura haurit liberata ab onere. *Atous* est adstricta, vel propter acidum constringens. *Appetitus est prostratus*, quia ventriculus debilitatur, & fermentum diminuitur ex propensione in vomitum, quae propensio ex consensu orificii ventriculi & diaphragmatis oritur. Si enim convulsionem patitur illud, hic quoque simul commovetur, & ad vomitum excitatur. *Vires sunt prostratae* propter Facultatem Animalem valde debilitatam & Spirituum perturbationem.

§. XXIX. Periculo quidem haud caret hic affectus, non omni modo tamen desperatus est dicendus. 1. Magnus est affectus, igitur periculum imminet. 2. Stipatus est Symptomatibus multis & gravioribus, quae graviolem hunc affectum reddunt: Igitur bene prospiciendum ob partis affectae nobilitatem, & imminetia majora symptomata. Sapius curatus fuit ab Experientissimo Dn. D. Praeside, quemadmodum & hic noster convaluit.

§. XXX

§. XXX. Brevi terminari potest hic paroxysmus, si rectè curetur, sed quod interdum diu duret, neglectæ curæ, & agrotorum intemperantiæ est adscribendum.

§. XXXI. Sed de totali ablatione in futurum spem certam facere non possumus, siquidem redire potest, quoniam eodem morbo ante biennium & quadriennium laboravit æger.

§. XXXII. CURATIO alia est *in paroxysmo*, alia *extra paroxysmum*. In paroxysmo *Indicatio curatoria* adhibenda, quæ indicat, ante omnia videndum esse, ut contractio fibrarum & motus convulsivi inhibeantur, Spiritus animales confortentur, & humores acidi è fibræ diaphragmatis expellantur. Extra paroxysmum *Indicatio præservatoria* postulat, ut cacochymia acida & malum hypochondriacum penitus tollatur. *Vires*, quæ valdè sunt debilitatæ, indicant roborantibus esse confortandum ægrum.

§. XXXIII. Apparatus desumitur ex tribus fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

§. XXXIV. Ex *fonte Chirurgico* V. S. in hoc affectu ut præstantissimum remedium locum habet, quandoquidem plethoricus est agrotus noster. Svademus autem Medianam, vel Basilicam. Frictiones, Scarificationes, Cucurbitulas & hirudines non improbamus.

§. XXXV. Ex *Pharmaceutico* conveniunt quæ lympham & humores reliquos evacuant. Quibus præmittenda sunt ea, quæ lympham viscidam incidunt. Optimum medicamentum putatur esse sperma ceti, quod uti in omni Asthmate valde potest.

Sic in

Si in cerevisiâ calidâ exhibeatur. Sic & hic specificè
prodest, ut, si alia omnia non juvent, hoc medicamen-
tum certò certius operetur. Vel:

Recip. ∇ . fl. Rapar. ζ ij.

Asthmat. ζ j.

Oxymell. Scillit. ζ ℥.

Sirub. ad asth. usitat: ζ j.

M. D. S.

Suffit = Tranch.

§. XXXVI. Hæc potiuncula est equidem propter
Sirub. asthmat. valdè nauseabunda; sed vel propterea
valde utilis, dum plerumq; subsequitur vomitus, per
quem pituita in ventriculo hærens expellitur. Mul-
tum enim in hoc affectu *Willisus* tribuit *Vomitoriis*,
nec abs re. Nam dum ventriculus movetur validius,
simul concutitur diaphragma fortius, ut ex fibris ex-
pellatur materia impacta. Quemadmodum si ster-
nutatio excitatur, pituita ex membrana pituitaria
excutitur. *Willisus* ¶ suum § magni æstimat, &
gr. vj. cum cremor. ¶ . p. a. miscet. In cu-
jus defectu ¶ emetic. l. vinum emetic. Myns, sub-
stitui poterit.

§. XXXVII. Aliàs tutò satis curamus, quando
Clysteres injiciuntur; præterquam enim quod alvus est
adstricta, & hòc modò Indicationi huic satis faciunt,
in super etiam revellunt & intestina stimulant, ut deor-
sum materiam peccantem detrudant.

\mathcal{R} . Herb. marrub. mj

Rad. alth.

malv.

elenij. à ζ j.

branc. ursin.

Flor. anthos.

fœnicul.

lil. conval. à pij.

C

hyssop.

hyssop. chamæm. mj.
majoran. à mß. melilot. pj.
Sem. Cartham. in pet. ligat. ʒvj.
Pulp. Colocynth. in pet. ligat. ʒß.
Coq. in f. q. ∇ simpl. Colat. ℞. ℥ij. dissolv.
Elect. hier. picr. cum Agaric. ʒvj.
Θ gumm. ʒj.
Ol. rutac. ʒj.
f. l. a. Clyisma.

S.

Clystier.

§. XXXVIII. Qvòd si urgeat Paroxysmus non
inconsultum erit exhibere Purgans Medicamentum;
præsertim si vomitu materiam viscosam rejecerit, &
paroxysmus non imminuatur.

℞. M. Pil. de succin. ʒj.
Extr. panchymag. ʒß.
Mag. gumm. de peru gr. ij.
F. l. a. Pillulæ

D. S.

Purgier Pillen.

§. XXXIX. Post V. S. & evacuationem statim re-
gio diaphragmatis inungi debet, seq. Ol. ut acredo
humorum mitigetur, & spiritus animales con-
fortentur.

℞. Ol. Chamom.
rut. à ʒij.
Ung. de alth. ʒß.

M. D. S.

Salbe.

Vel

Vel; R. Ol, Rut. R.
succin. R à ʒß.
Lavend. R ʒj.
Chamom. ʒj.
M. D. S.

Eufferlich Dehl.

R. ▽ Apoplect. Nymm.

Epilept. Lang. à ʒj.

+ rutac. ʒß.

M. D. S.

Eufferlich Anstreich Wasser.

§. XL. Internè exhibeantur pulveres Marchionis & alii Epileptici alkali fixo præditi, ut acidum corrigatur.

R: Pulv. March.
Specif. ceph. D. Mich.
Lap. perc. à ʒß.
ʒnij diaph. gr. vj.
M. D. S.

Pulver.

R. Pulv. bezoard. D. Senn. ʒj.
March. ʒß.

Cinnab. nativ. gr. iv.

M. D. in 2plo. S.

Zwey Herz und sonderliche Pulver.

R. ▽ Fl. Sambuc.
tilia à ʒjß.
Epilept. Lang. ʒj.
M. D. S.

Wasser zum Pulver.

C 2

R.

Pulv. March. ℥j.

33 nativ. gr. ij.

M. D. in 4plo.

S.

4. Pülverlein.

§. XLI. *Cinnabaris nativa* à multis magni Nomīnis Autoribus magni æstimatur, & frequenter in morbis spasmodicis exhibetur, ut propterea à *Cratone Magnus epilepticus* vocetur. Quamvis enim de ☿ participet, non tamen propterea pro Veneno est habenda. Siquidem & ☿ divinum in quibusdam morbis medicamentum salutatur. Egregiè enim lympham movet, ejusq; aciditatem corrigit, prout in Cachexia, Lue venerea, & ipsa Scabie quilibet novit.

§. XLII. Ut è fibris expellantur humores, & simul corrigantur, *Sudorifera* multum profunt, præsertim si ex ☉ibus urinosi consistant.

R.

▽ Epilept. cum cast. ℥j.

Spirit. ☉is ℥ gutt. xx.

theriac. Camph. ℥j.

M. D. S.

Schwig-Träncklein.

R. Diascord. Fracast. ℥iiij.

Confect. alkerm. ℥b.

▽ fœnic. s. v.

Origan. S. V. à ℥b.

Epilept. Lang. ℥ij.

Sirup. de pœon. ℥b.

M. D. S.

Träncklein auf 1. mahl.

§. XLIII.

§. XLIII. Vires & Spiritus animales sequentia
confortant.

℞. ▽ typhor. C. ʒj.
 Epilept. Lang. ʒʒ.
 Essent. Ambr. ʒʒ.
 Pulv. Cran. human. ʒj.
 Laud. opiat. gr. ʒ.
 Spirit. ΘΧΘj.
 Sirub. d. Cit. cum M. & A. ʒʒ.
 M. D. S.
 Träncklein.

§. XLIV. Specificè prodesse dicuntur *Lumbrici*,
quos mirum in modum extollit *Drabitius* in affecti-
bus scorbuticis. Eatenus conferre judico, quate-
nus Urinam movent, & sic lympham acidam simul e-
jiciunt, eamq; sale suo volatili corrigunt.

§. XLV. Nec mittendum est *Castoreum*, quod,
uti in omnibus affectibus convulsivis & asthmaricis,
propter oleum volatile commendatur, sic & hic non
sine fructu & externè & internè exhibebitur,

℞. ▽ cera f. nigr.
 epilept. Lang. à ʒj.
 hirundin. c. castoreo ʒʒ.
 Spirit. lil. convall.
 fl. tilia à ʒij.
 Ess. liquid. castor. ʒij.
 Sirup. pæon. ʒvj.
 M. D. S.

Sonderlich Träncklein.

C 3

§. XLVI.

§. XLVI. Sed frustra ferè omnia adhibentur nisi aliquid de Opio addatur. Hoc enim in hoc affectu præsentissimum est remedium, quod motus interiores excitatos sistit, ac redinem humorum demulcet, & sic causæ & Symptomatibus quoq; succurrit. Addantur grj. vel ij. pulveribus epilepticis, vel potionibus aliis.

§. XLVII. Quà ratione autem extra Paroxysmum cura sit ad Scorbutum & Malum hypochondriacum dirigenda, instituti nostri non est ista hæc vice exponere, sed quoniam distincti sunt affectus & distinctam Tractationem postulant, in aliam id reservamus occasionem.

§. XLVIII. Atq; ut Methodo consuetæ satisfiat Ex fonte Dietetico addimus, Ægrotum nulla ratione ad Iram esse commovendum. Utatur victu laudabili & vitet in omnibus rebus excessum.

Soli Deo Gloria!

UT nescit latitare diu rapidissima flamma,
Sic præbes vires Pfeifer amanda tuas.
Pergito! conatum jugiter Deus ipse juvabit,
Tuq; tui studii Præmia digna feres.

Michael Sennertus, D.

Qvi

Qui necit flagrans studiis nocturna diurnis,
Et Scriptis Nomen spargit ubiq; suum,
Hunc Pallas famâ magnum super æthera tollit,
Et gerit is celso Nomina clara loco.
Sic Tu, qui sudas Musis Efeifere sacratus,
Serves hoc coeptum sedulitatis opus.
Et Tibi succurret cœli spirabile Numen,
Ut decus â ferâ posteritate feras.

Hæc
gratulabundus
adponebat.

PRÆSES.

Madrigal.

Sist es recht! Sein Wittenberg muß
wissen
Vorhero / was er da gehört /
Eh Er sich von uns abgekehrt /
Eh / Holland / Er dich wird begrüßen.
Zwar wenn bey uns der Aufschlag ste=
hen solte /
So müßt

So müß' Er länger hier
Die Gegenwart und Freundschaft uns
vergönnen.

Weil aber wir nicht können
Die Trennung halten auff
Noch wollen Seines Glückes Lauff/
So wünschen wir aus treuen Freundes=
Sinnen
Vom Himmel Glück / zu Seinem Kunst=
Beginnen!

Dieses wolten Ihrem vielgeliebten
Herrn Commensali glück=
wünschend beysügen

Er, Excellentz Herrn D. LOSSII
Tischgesellschaft.



05 A 2507

ULB Halle

3


004 544 781



Wort







Farbkarte #13

B.I.G.



47

Practicum

MATE ULSIVO,

ac. Med. Indultu,

ræsido

R I

fimi, atq. Experientisfimi

MIÆ LOSSII,

Et. & P. P. Extraord.

Patroni, ac Hospi-

n devenerandi,

M. DC. LXXVI.

orum Examine ex-
onit

CHRISTIANUS Pfeifer/ resd.

EBERGÆ,

NI SCHRÖDTERI.

J. C. Schaff
J. C. Schaff